Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

temporis immigrasset: Quid quod idem dicit in libris de re p. idem gloria:
Nam de legibus: quo in opere platonem sequutus leges voluit ponere: quibus
putaret usuram esse iustam: et sapientem civitatem de religione sita
sanxit: Divos et eos: qui celestes semper habiti sunt: colunto: et illos: quos
in celo merita locaverunt: Herculem. Liberum. Esculapium. Castorem.
Pollucem. Quirinum. Item in Tusculanis cum diceret totum poene cae
lum humano genere completum: Si vero inquit scrutari vetera et ex illis ea:
quae scriptores graeciae prodiderunt: eruere coner: ipsi illi maiorum gen
tium dii: qui habentur: hinc a nobis profecti in caelum reperientur: Qua
re quorum demonstrantur sepulcra in graecia: reminiscere: quoniam es iniciatus:
que traduntur misteriis: tum denique: quam hoc late pateat: intelliges: Testa
tus est videlicet attici consciam ex ipsis misteriis intelli posse: quod omnes illi
homines fuerint: qui coluntur: et cum de Hercule. libero. Esculapio. Cas
tore. polluce. incunctanter fateretur: de appolline ac Iove patribus eorum:
Item de neptuno. Vulcano. Marte. Mercurio: quos maiorum gentium
deos appellavit: timuit aperte confiteri. Idcirco ait late hoc patere. ut idem
de Iove caeterisque antiquioribus diis intelligamus: quorum memoriam.
si eadem ratione veteres consecraverunt: qua se imaginem nomenque filie
consecraturum esse dicit: ignosci moerentibus potest: credentibus non potest:
Quis enim tam demens et placito innumerabilium stultorum aperiri cae
lum mortuis arbitretur. aut aliquem quod ipse non habeat: dare alteri pos
se: Apud romanos deus Iulius: quia hoc scelerato homini placuit An
tonio: deus quirinus: quia hoc pastoribus visum est: cum alter gemi
ni fratris extiterit: alter patriae parricida: Quod si consul non fuisset
Antonius. C. caesar pro suis in rem p. meritis et defuncti hominis honore
caruisset: et quidem consilio pisonis soceri et L. caesaris propinqui:
qui vetabant funus fieri: et dolobellae consulis: qui columnam in foro. i.
titulum eius evertit: ac forum expiavit: Nam romulum desiderio suis
fuisse declarat ennius: apud quem populus amissum regem dolens hec
loquitur: O romule romule die qualem te patriae custodem dii genue
runt. Tu produxisti nos intra luminis oras. O pater. o. genitor patriae. o.
sanguineum diis oriundum. ob hoc desiderium facilius creditum est Iulio
proculo mentienti: qui subornatus a patribus est: ut nunciaret plebi
vidisse se regem humano habitu augustiorem: eumque mandasse ad po
pulum: ut sibi delubrum fieret: se deum esse. et quirinum vocari: Quo fac
to et ipsi populo persuasit: Romulum ad deos abisse: et Senatum suspitio
ne cedis regiae liberavit :–